

criterium, sive ad unum principium formale — conc.; tanquam ad unum fontem, sive ad unum principium materiale — nego.

5. Atqui ex eodem fonte divino etiam logice omnes cognitiones sunt deducendae; secus in cognoscendo non essemus prorsus dependentes a Deo; dist.: neque mediate neque immediate — nego; non immediate; subd.: logice — trans.; physice — nego.

6. Atqui debet esse immediata dependentia logica; nam conceptus nostri habent obiectum universale, aeternum, necessarium, quod non potest esse nisi Deus; dist.: abstractivum universale, negativum aeternum, necessarium — conc.; positive et in se — nego. Quare argumentum retorqueri potest. Quidquid in Deo est, positive est aeternum, necessario existens, maxime concretum. Atqui obiectum idearum nostrarum non esse nisi negativum aeternum et necessarium et abstractum. Ergo non in Deo videtur.

7. Atqui conceptus infiniti non potest hauriri ex rebus finitis; dist.: conceptus infiniti proprius, directus, adaequatus — conc.; analogicus, positivus, negativus — nego.

8. Atqui saltem entia limitata, contingentia non cognoscuntur, nisi per ens infinitum, necessarium; dist.: non possunt esse sine ente infinito, necessario — conc.; non possunt sine illo cognosci, subd.: adaequate — conc.; inadaequate — nego. — Confundunt ens universale, indefinitum cum ente infinito maxime perfecto et concreto.

9. Atqui debet esse concordia inter philosophiam et theologiam; dist.: nulla potest adesse oppositio — conc.; debent adesse eadem methodus, eademque principia — nego.

## Caput II: Ideae primitivae non oriuntur ex causa nobis prorsus intrinseca.

### § 1. De ideis innatis.

*Expositio:* Quaeritur, num anima intellectiva ex se sit determinata ad omnia vel ad quaedam obiecta repraesentanda, quin aliunde hauriat illas notitias, quod quidem multi philosophi et veteres et recentiores affirmant.

1<sup>o</sup> Plato († 348)<sup>1)</sup> negans, nos acquirere rerum cognitionem universalem ex sensatione, essentias rerum putavit esse formas quasdam non sensibiles, ad modum substantiarum existentes, quas immediate perciperemus. Cognitionem autem illam iam latere in mente nostra ex vita aliqua mere spirituali antemundana, neque indigere, nisi ut excitetur, quod fieret occasione sensationum.

2<sup>o</sup> Cartesius († 1650) arbitrans, nos per sensationem non percipere nisi affectiones nostras bonas vel malas, similiter docebat nos sensibus nullam realitatem obiectivam cognoscere; immo animam solam sentire, corpus essentialiter extensum esse quandam machinam licet subtilissimam. Quamvis „supervacuam entitatum scholasticarum supellectilem“ reicere vellet, tamen statuit, „nihil esse in ideis nostris, quod menti non fuerit innatum“ quia

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 84, a. 3 et 4; de veritate, qu. 10 a. 6.

conceptus nostri universales necessarii ex rebus individuis, contingentibus hauriri non possent; sensus autem nihil certi referre, quia non constaret, eos neque decipere neque decipi. Ideas igitur ex sensatione acquisite — sensationem soli animae tribuit — vocat *adventitias*; illas autem, quas arbitrarie formamus, *factitias*. Praeter illas statuit ideas *innatas*, quas habet omnino veras et fundamentum cognitionis nostrae. Sic ideam Dei, nostrae existentiae, felicitatis, immo ideas omnes necessarias, etiam motus, extensionis<sup>1)</sup> etc. innatas nobis esse existimabat, quamvis difficultatibus pressus nonnunquam rem alio modo explicare videatur.<sup>2)</sup> Ideas vero excitari putat sensatione praesente propter intimam unionem animae cum corpore et quandam „Dei assistentiam“. Animam semper cogitare affirmabat, in actu cogitandi eius essentiam collocans,<sup>3)</sup> sicut essentiam corporis in eius extensione.

3<sup>o</sup> Leibnitzius († 1716)<sup>4)</sup> eiusque discipulus Wolff († 1754) „virtualitates, inclinationes sive dispositiones occasione sensationum actuandas“ statuebant. Unde Leibnitzius monadibus, i. e. entibus simplicibus, a Deo creatis, quibus res omnes et ipsam animam constare putabat, perceptionem mundi universi tribuit congenitam, non solum intellectualem, sed etiam sensitivam, quae perceptio, primo confusa et inconscia, magis magisque explicaretur et distincta redderetur eo, quod sensatio externa accederet. Perceptionem quidem illam semper adesse actu in mente, quin tamen eius conscii simus; fieri autem *apperceptionem*, i. e. fieri eius conscientiam per sensationem. Sensationem autem non positive influere in perceptionem excitandam, sed per harmoniam quandam, ab auctore naturae praestabilitam, sine ullo mutuo influxu cum qualibet sensatione oriri congruentem perceptionem intellectualem. Animam sentientem non res ipsas percipere, sed suas ideas; neque enim habere fenestras, per quas res ingredi possent vel per quas ipsa prospiciat. Distinguit, veritates necessarias (*vérités de raison*), quae in Dei intellectu, et contingentes (*vérités de fait*), quae in Dei voluntate fundentur; illas principio contradictionis, has principio rationis sufficientis contineri tanquam ultimis principiis logicis.

4<sup>o</sup> Rosmini († 1855) unam solam ideam entis eamque entis possibilis innatam esse putat, quae supponatur in omni conceptu et in omni iudicio, neque fieri posse abstractionem nisi per iudicium. Hanc ideam entis applicari sensationibus, et hoc modo formari conceptum concretum rei existentis. Deinde abstractione facta a rei existentia, formari conceptum universalem et tandem abstrahendo a rei notis individuantibus, fieri conceptum abstractum. — Addendum est, animam, si credimus Rosminio, in sensatione non percipere nisi affectionem corporis, non obiectum externum; unionem eius cum corpore fieri eo quod sentit corpus, et percipiendo hanc unionem sub ratione entis, unionem hanc fieri intellectualem.

5<sup>o</sup> Praeter enumeratos alii multi et philosophi et physici ideas statuunt innatas, immo et principia. Ita Kant, de quo plura infra dicentur; Schopen-

<sup>1)</sup> De methodo, c. 4. <sup>2)</sup> Respons. ad obiect. tertias; cfr. p. 141, 239. <sup>3)</sup> Cfr. Willmann, Gesch. d. Idealismus, 1897, III, 232 sq. <sup>4)</sup> Nouveaux essais sur l'entendement humain I, ch. 1, § 1, 5 etc. Monadologie § 7 sq.; cfr. opera philosophica Leibnitii, editio Erdmann 1840; editio Gerhard 1875—1890. Cfr. Willmann l. c. p. 256 sq. Busse, Die Weltanschauungen der grossen Philosophen der Neuzeit (Aus Natur und Geisteswelt B. 56).

hauer, Hermes<sup>1)</sup> cum multis physicis principium causalitatis, Schuppe etiam identitatis, Schubert delineamenta totius mundi nobis indita esse affirmant. Schola scotica contra Locke ideas „congenitas“ esse decernit; ita Dugald-Stewart, Shaftsbury, Staudenmaier, Thomassin solam ideam Dei innatam esse putant. Multi physiologi et philosophi cum Joh. Müller „energias specificas“ sensuum statuantes, sensibilia propria et communia quodammodo nobis congenita esse docent.

*Thesis IV: Ideae nobis innatae sunt reiiciendae.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Patet, quemadmodum obiectum aliquod nos determinat ad cognoscendum et anima in se speciem intelligibilem gignit, ita etiam Deum nobis ideam tribuere posse, quin obiectum ipsum adsit, sive nos determinet; sed negamus hoc fieri ordinarie, et hoc modo ideas primitivas in nobis oriri.

2<sup>o</sup> Non negamus, posse esse in hominibus dispositiones quasdam congenitas, quibus hanc vel illam veritatem facilius apprehendant, quam alias; affirmamus autem ideas primitivas ex his dispositionibus nequaquam oriri, nisi obiecto proposito, a quo mens nostra eas abstrahat.

*Prob. 1. Ex natura nostra sensitiva-intellectuali:* Natura nostra non est mere spiritualis neque mere sensitiva, sed simul sensitiva et spiritualis, ita ut pars sensitiva ordinata sit ad partem intellectivam adiuvandam et perficiendam; ac proinde etiam modus cognoscendi debet respondere naturae nostrae, i. e. principio operanti. *Atqui* si essent ideae omnes vel saltem pleraeque innatae, sensatio vix esset intellectui adiumento, immo saepe ei esset detrimento, fatente Platone; constat enim, intellectus operationem saepe impediri et abstrahi per sensationes, praesertim per imagines phantasiae. *Ergo* non sunt ideae innatae.

Neque dicere licet cum Platone, Cartesio, Leibnitzio, sensationem esse occasionem, qua intellectus excitetur; nam in sententia eorum non potest intelligi: 1<sup>o</sup> quomodo sensatio possit influere in animam spiritualementem cum corpore non substantialiter coniunctam; 2<sup>o</sup> neque quomodo sensatio potius hanc vel illam ideam excitet; nam intellectus concipiens ideam praesente sensatione, aut videt hanc ideam cum sensatione congruere, aut non videt. Si primum, debet obiectum ideae in ipsa sensatione iam percipere ac proinde habere vim abstractivam, et inutilis esset idea innata; sin alterum, nullam possemus habere certitudinem cognitionis nostrae et existentiae rerum obiectivae, neque intelligi posset, cur haec potius idea quam alia conciperetur.

2. *Ex obiecto et natura idearum:* Si ideae nobis essent innatae neque per abstractionem a sensatione efformatae, cognitio nostra intellectualis deberet per se esse prorsus independens a perceptione sensuum, et conceptus nostri de rebus spiritualibus deberent esse

<sup>1)</sup> Cfr. Kleutgen, l. c. I, n. 81.

saltem aequae proprii et positivi, atque ideae rerum sensibilibum. *Atqui* constat: a) deficiente sensu aliquo etiam ideas rerum sensibilibum ad eum pertinentium deficere; b) cognitionem nostram intellectualem semper comitari debere sensationem aliquam phantasiae, ita ut impedita sensatione etiam actus intellectus fieri nequeat; c) conceptus nostros primos, proprios, positivos esse rerum sensibilibum; res autem mere spirituales, immo ipsam nostram animam concipi per ideas potius analogas, improprias, partim negativas. *Ergo* ideae innatae non sunt admittendae.<sup>1)</sup>

3. *Ex conscientiae testimonio:* Constat, si quid investigare volumus, nos non scrutari conscientiam nostram, ut ideas ibi latentes inveniamus, sed nos potius confugere ad experientiam sensuum, ut novas ideas acquiramus; vel adhibere ratiocinium, ut ex ideis per experientiam iam acquisitis alias legitime deducamus. *Atqui* si essent ideae innatae, praesertim illae rationes universales, quibus omnis certa cognitio nititur: principia contradictionis, causalitatis, ideae Dei, propriae existentiae, mundi etc., deberemus semper recurrere ad illas ideas innatas tanquam fontes et criteria veritatis, quod tamen conscientiae testimonio contradicit. *Ergo* non sunt ideae innatae.

4. *Ex absurdis:* Ideae et principia innata si admitterentur, idealismus et scepticismus necessario sequeretur; nam a) in sententia adversariorum immediatum obiectum cognitionis nostrae sunt ideae ipsae, non res per ideas expressae (cfr. thes. II, p. 103 supra). b) Aut cognoscimus illas ideas congruere rebus repraesentatis, i. e. rebus existentibus, aut non. Si primum, ideae innatae sunt superfluae, quia quod exhibent, iam in rebus ipsis per abstractionem sive intuitionem perciperemus; sin alterum, nulla potest esse certitudo de conformitate cognitionis nostrae cum rebus repraesentatis. — Et hoc argumentum eo magis probat, quod adversarii omnes affirmant, animam nostram intellectualem cum corpore non substantialiter unitam esse et per sensationem non ipsas res apprehendere, sed affectiones mere subiectivas vel suas vel corporis.

Neve excipias, mediante principio causalitatis posse concludi ex illis affectionibus, adesse mundum externum et proprium corpus; nam 1<sup>o</sup> non intelligitur, quomodo intellectus hanc affectionem sensitivam apprehenderet; 2<sup>o</sup> quamvis posset concludi, adesse aliquam causam sensationis sive internam nobis sive externam, non tamen concludi posset, quae causa certa et individua adesset; 3<sup>o</sup> in sententia adversariorum etiam conceptus causae est innatus, ac proinde nescitur, num habeat valorem obiectivum; ideo etiam principium causalitatis caret omni certitudine obiectiva. *Ergo* ideae innatae admitti nequeunt. — Neve dicas, saltem aliquas nobis a natura esse inditas;

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 84 art. 3 et 6.

nam 1<sup>o</sup> non probatur; 2<sup>o</sup> nulla necessitas adest; 3<sup>o</sup> si admittitur, nos plerumque ideas a rebus sensibus perceptis posse abstrahere, nulla est ratio, cur non admittatur, omnes ideas hoc modo per abstractionem a nobis formari.

5. *Ex falsis suppositis*: Adversarii omnes falsam habent opinionem, a) de natura et obiecto et principio sensationum arbitranter, eas non esse fontem cognitionis, non ipsa obiecta attingere, a sola anima elici; b) de unione animae cum corpore, negantes unionem substantialem. Iam vero anima, cum corpore eiusque organo ad unum principium substantiale non coniuncta, non potest res externas directe percipere; neque res externae, immo ne proprium quidem corpus materiale, extensum, possent influere in animam simplicem et spiritualementem. Accedit, quod *Plato* docuerit, animam nostram esse purum spiritum, qui in vita priore peccavisset et poenae causa in corpore hoc inclusus esset; porro praeter animam rationalem duas alias in homine posuit: concupiscibilem et irascibilem. — *Cartesius* autem animam rationalem semper actu cogitare docet eamque solam sentire, corpus esse machinam brutam. — *Leibnitzius* monadem suam animam dicit omnes semper habere tum sensationes, tum cogitationes actuales, licet earum sibi non conscia sit. — *Rosmini* tandem ideam entis *possibilis* innatam statuens, nullo modo potest ad rerum *existentiam* pervenire: non per sensationem, quia haec in eius sententia est mere subiectiva; non per ideam entis, quia haec puram possibilitatem includit; ac proinde *idealismum* et *scepticismum* restaurat. Deinde non supponens nisi ideam entis eamque immediate cum sensatione i. e. cum perceptione impressionis nostrae organicae coniungens, inducit *sensismum*, quia sensus per se non referunt nisi qualitates sensibiles, ratio entis autem nihil determinati exprimit; quare ratio substantiae, causae, existentiae etc. inde deduci non potest; neque potest explicare, quomodo *intellectus* possit ideam suam entis cum *sensatione* in facultate *sensitiva* coniungere, nisi vim abstractivam admittat. Denique ideam entis tamquam lumen mentis nostrae exhibens eiusque obiectum vocans aeternum et necessarium, quod certe in nobis esse non potest, incidit in *ontologismum*, neque periculum pantheismi satis effugit.<sup>1)</sup>

*Obi.* 1. Ideae repraesentant rerum essentias idque modo universali. Atqui res in se sunt singulares, neque sensus repraesentant nisi rerum qualitates sensibiles et modo individuali. Ergo ideae nostrae neque a rebus, neque a sensibus, sed a Deo nobis adveniunt (*Cartesius* et *Leibnitzius* cum omnibus *Idealistis*).

Dist. minor, quoad I partem: Res in se sunt singulares, quin quidquam commune in ipsis apprehendi possit — nego; secus — conc.; dist. II partem:

<sup>1)</sup> Iure igitur eius systema, 40 propositionibus ex eius libris extractis, a S. Sede reprobata est, die 7. Martii 1888; cfr. praesertim propos. I—XVIII apud *Schiffini*, *Disput. metaphys.* II, p. 435.

Sensus non referunt nisi qualitates sensibiles idque modo individuali per se — conc., per accidens i. e. ratione intellectus abstrahentis — nego; referunt enim obiectum suum modo concreto e. g. *res* coloratas, extensas, ac proinde subiectum cum suis qualitatibus, unde rerum natura in sensatione aliquo modo latet seseque per qualitates suas intellectui abstrahenti manifestat.

2. Atqui intellectus non potest in sensatione obiectum suum certo attingere, quia sensus nil nisi quid subiectivi repraesentant, et facile vel decipiunt vel decipiuntur (*Cartesius*).

Dist.: 1<sup>o</sup> Sensationi semper aliquid subiectivi quoad modum cognitionis admixtum est — trans.; hoc etiam de cognitione intellectuali universali dicendum est; nil obiective repraesentant — nego;

2<sup>o</sup> Sensus decipiunt vel decipiuntur per se, si modo debito adhibentur — nego; per accidens, subd.: quin haec deceptio per alios sensus vel per mentem reflectentem detegi et corrigi possit — nego; alias — conc. (cfr. supra p. 157 sq.)

3. Atqui saltem idea propriae animae eiusque existentiae non ex aliis obiectis neque ex sensatione haberi potest et per consequens etiam ideae, quas cognitio sui ipsius supponit, ut idea substantiae, spiritus, entis, vitae etc., aliunde i. e. a Deo sunt (*Leibnitz*); dist.: idea animae nostrae propriaeque existentiae non formatur ex perceptione obiectorum sensitiva directe — conc.; neque indirecte nosmetipsos in actu directo sensationis per conscientiam ut subiectum et causam illorum actuum immediate deprehendentes — nego. (Cfr. supra p. 143 sq.)

4. Cogitatio est animae essentialis ac proinde ideae infanti innatae sunt (*Cartesius*); secus anima posset esse sine actu vitali; dist.: sine actu ullo vitali, saltem vegetandi — nego; sine intellectu, subd.: tanquam facultate — nego; sine actu intelligendi — conc.

5. Atqui neque sine actu intelligendi esse potest; nam est Deo similis, cuius essentia est actus purus; dist.: anima est imago Dei perfecta — nego; imperfecta — conc.; secus anima nostra deberet etiam esse omnipotens ut Deus.

6. Atqui haec saltem necessario habet sensum intimum existentiae suae et ideam felicitatis; dist.: actibus suis acquisitam — conc.; innatam — nego.

7. Atqui sentimus nos imperfectos esse, quod supponit nos habere ideam perfecti et infiniti innatam; dist.: supponit ideam infinitae perfectionis — nego; ideam alicuius perfectionis, subd.: acquisitam vel innatam — conc.; solum innatam — nego.

8. Atqui ideae universales, necessariae non possunt hauriri ex rebus individualibus, contingentibus (*Ubaghs*), neque conceptus Dei *infiniti* ex rebus *finitis* (*Cartesius*); dist.: nisi esset abstractio et reflexio mentis — conc.; secus — nego.

9. Atqui saltem idea entis non potest abstrahi, quia in omnibus ideis supponitur (*Rosmini*); dist.: in reflexiva abstractione — conc.; in directa, subd.: non potest quidquam cognosci nisi sub ratione entis — conc.; idea entis debet omnem cognitionem praecedere — nego. Eodem modo posset ostendi, sensationem coloris etc. debere omnem perceptionem oculi praecedere. Confundit abstractionem directam et reflexam; neque advertit, nos

percipiendo quodcumque obiectum eo ipso etiam rationem entis in eo apprehendere.

10. Plato in Menone: Latent cognitiones in nobis; nam qui apte interrogantur, saepe respondent de rebus usque eo ipsis incognitis; dist.: quia interrogatione ad veritates *ratiocinio* detegendas excitantur — conc.; quia *ideae* innatae manifestantur — nego.

11. Plato in Phaedone: Homines res mundanas plus vel minus aequales, bonas, iustas, pulchras habent; ergo cognitio ipsius aequi, boni, iusti, pulchri iam supponitur; dist.: si in ipsis rebus ratio boni etc. cum eius diversitate non simul perciperetur — trans.; alias — nego.

## § 2. De Idealismo.

*Expositio*: Idealistae vocantur, qui negantes nos res percipere, ut sunt in se, omnem perceptionem sive sensuum sive intellectus ex causa nobis intrinseca, i. e. ex propria animae nostrae activitate explicant. Duplex autem idealismus distinguitur: *obiectivus*, qui omnes perceptiones tanquam a Deo nobis immissas habet, ut Malebranche et Berkeley; *subiectivus*, qui activitate nobis insita omnes nos perceptiones efformare docet. Quum idealismus obiectivus vel in ontologismum vel in sententiam eorum, qui *ideae* innatas statuunt, recidat et iisdem fere rationibus refutetur, nobis hoc loco idealismus subiectivus est reiciendus. Atque duplex iterum distinguendus est:

1<sup>o</sup> *Idealismus absolutus* sive *acosmisticus*, qui negat mundum visibilem a nobis realiter distinctum vel existere vel saltem eo modo esse, quo nobis apparet; nos illum per animae nostrae activitatem producere idque vel per actum intellectus, ut Neoplatonici, Fichte, Hegel, moderni phaenomenalistae e. g. Avenarius, Laas, Liebmann, Schuppe etc.<sup>1)</sup> existimant, vel per actum voluntatis, ut Schopenhauer censet („Die Welt als Wille und Vorstellung“). — Pantheistae non realiter distinguentes inter ens absolutum eiusque evolutionem mundanam, ut Eleates, Spinoza, Paulsen, idem fere statuunt (parallelismus metaphysicus: Denken und Sein sind identisch, oder Erscheinungen der einen absoluten Substanz).

2<sup>o</sup> *Idealismus relativus* sive *physiologicus*, qui admittit quidem res mundanas existere et in corpus nostrum influere, negat autem nos sive per sensationem sive per cogitationem res ipsas percipere, sed solas affectiones subiectivas, ex quibus per mentis nostrae activitatem *ideae* efformemus, quibus a parte rei ad summum causa efficiens, non formalis respondeat. Nescire nos, quid *ideis* nostris a parte rei subsit. Quam sententiam, per systema Kantianum maxime propagatam, multi amplectuntur et philosophi ut Herbart, Lotze etc., et physiologi, praesertim qui influxum inter corpus et animam, sive inter sensationem et cogitationem, immo existentiam animae spiritualis a corpore distinctae negantes, parallelismum psychophysicum statuunt, ut Fechner, Wundt, Paulsen, Ebbinghaus, Jodl et alii multi.<sup>2)</sup>

Quum iam in prima parte criticae idealismum refutaverimus (thes. I, p. 108 et XVII p. 191 sq.) ostendentes, nos res existentes percipere idque immediate,

<sup>1)</sup> Cfr. Müller, System d. Phil. p. 20; Schmid, Erkenntnisslehre, II, 314 sq.

<sup>2)</sup> Cfr. Gutherlet, Der Kampf um die Seele 1903<sup>2</sup>, p. 172 sq.

breviter hic nonnulla argumenta exponere sufficit, praesertim quum systemate Kantiano aliorumque refutato ipse error idealismi simul reprobetur.

*Thesis V: Ideae non oriuntur ex sola animae activitate.*

*St. qu.* Bene advertendum est, agi in hac thesi de *ideis obiective* spectatis; patet enim, *ideae* subiective spectatas, i. e. ut actus et ut species expressas, ab intellectu formari; quare agitur de obiecto per *ideae* expresso. Deinde non agitur de *modo*, quo obiecta a nobis concipiuntur, i. e. modo abstracto, universali, qui certe est in sola mente nostra; neque agitur primo et per se nisi de *ideis primitivis*, quae immediate ex experientia formantur. Constat enim, *ideae* factitias, ex primitivis derivatas propria nostra activitate, nunquam posse esse falsas i. e. ex sola anima esse.

*Prob.* 1. Argumenta, quibus *ideae* innatae refutantur, paucis immutatis, etiam idealismum refellunt, quia repugnat: a) naturae nostrae sensitivae simul et intellectuali; b) experientiae et externae et internae; c) supponit, nos non percipere directe nisi modificationes nostras subiectivas.

2. *Ex absurdis*: Si anima ex se sola produceret *ideae*: a) *nulla posset esse certitudo*; nam quod cogito, aut in ipsis rebus inesse percipio, aut non. Si primum, non iam anima obiectum producit cogitando, sed invenit in rebus, ac proinde vis quaedam abstractiva vel intuitiva admittenda est. Sin alterum, patet me nunquam posse esse certum, *ideam* meam rebus cognitis congruere.

b) *Subiectivismus* et *Scepticismus* induceretur; nam tunc ipse homo esset fons et criterium omnis veritatis iuxta illud Protagorae: πάντων μέτρον ἄνθρωπος.<sup>1)</sup> Quidquid cogitamus, esset verum, quia et in quantum cogitamus, quum nulla esset obiectiva veritatis mensura vel saltem cognosci non posset.

c) *Pantheismus* sive potius *Solipsismus* induceretur; nam quum id quod cogitamus, per *identitatem* de rebus praedicemus, si *ideae* ab anima sola producerentur, omnia essent phaenomena hominis cogitantis, sicut Fichte, Schopenhauer, Hegel volunt. Immo quum etiam *idea Dei* et infiniti a nobis produceretur, homo fieret Deus, fieret omnia; quo nihil absurdius dici potest.

Difficultates contra thesim vide in critica, pag. 195 sq.

## § 3. Systemata Idealismi.

### I. Kantii Systema.

Opera praecipua: Kritik der reinen Vernunft, 1781; Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik, 1783; Grundlegung der Metaphysik der

<sup>1)</sup> Cfr. Plato, Teetetetus, n. 16 sq.